

erat ad presbyteratum, surdam anam, aita inutilique voce monitam confregit, interemitque cisio, cujus concitatos equos continere non potuit. Inde obtenta dispensatione a quodam presbytero, qui facultatem habere jactabat, suscepit ordinem sacerdotalem, et anxio est animo de irregularitate, precatur pro dispensatione, et rehabilitatione, cum de causali homicidio ageretur; et S. C. petitioni concedit. Nolana irregular. 24 Januar. 1795.

(68. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. in rixa.*

Irregularitas contracta a sacerdote Petro Borelli per occisionem patratam in rixa post primum rescriptum lectum, vigesimo tandem anno a crimine commisso elapso, ob constantem illius emendationem, et propter sacerdotum defectum illius parociae, remittitur. Mutinen. irregular. 28 Febr. 1795.

(69. *Dispensat. ad cautel. ob irregul. ex causa suspens.*

Dispensatio ab irregularitate conceditur ad cautelam canonicis extra Capitularibus vocatis ecclesiae collegiatae S. Michaelis Archangeli Caprarolae, qui cum essent punctaturis immunes, juxta capituli antiquas constitutiones, et veterem consuetudinem, impugnabant dimissionem tertiae fructuum partis pro distributionem massa constituenda, pro qua re episcopus eos suspendit. Civitatis Castellanae 16 Maii 1796, dub. 4.

(70. *Dispensat. ab irregul. ob homicid. inculpab.*

Acolythus Petrus Gisolfi, occasione licitae venationis, gestans in humeris igneam ballistam elato igniario ex inopinato ictu, quem illa explosit, interemit suum amicum clericum Dominicum de Amato. Ex processu inculpabilis repertus ille fuit, et supplicat pro gratia dispensationis, et obtinuit. Salernitana Irregular. 22 Augusti 1795.

(71. *Dispensat. ab irregul. ob violat. censur.*

Cum parochus Franciscus Vasoli, licet avarus non fuisset in elemosynis distribuendis, tamen ex superexstantibus parociae redditibus, aliisque proventibus, etiam patrimonialibus, illicitam negotiationem exercuit. Modo exorat dispensationem ab irregularitate in quam incurrit ob administrationem proprii ordinis sub censuris ecclesiasticis; et S. C. . . quae etiam ei restitutionem lucri illiciti imposuit, dispensationem postulatam impertivit. Capuana 20 Februar. 1796, dub. 3.

(72. *Denegat. dispens. ab irreg. ob homic. volunt.*

Sacerdos Innocentius Oleisius dum revertebatur patriam Pannesium ex finitimo loco Uscio, ubi sua soror nuptias contraxerat, aliqua jam contentione absoluta, cepit impellere sororem, igneamque tandem in eam reluctantem a tergo explosit ballistam, cujus ictu post paucos dies puella decessit. Penam luit postmodum carceris, et pecuniariam damnationem. Jam quindecim elapsi sunt anni, reclam vitae methodum agit. S. C.

vero dispensationem denegavit cum clausula absque spe. Januen. irregularit. 23 Aprilis 1796.

(73. *Dispensat. ab irregul. ex caus. censur.*

Postquam subdiaconus Chella calumniatus est sacerdotem Antonium Paita ob tentatam in ipsum igneam ballistulae explosionem, pendente inquisitione ascendit ad diaconatum. Sacerdos absolutus fuit ex capite innocentiae, et calumniator damnatus ad expensas et damna, et actio calumniae incepta est; sed res fuit composita, et diaconus petita absolute a censuris, petiit etiam dispensationem ab irregularitate, et rehabilitationem ad ordines, et favente ei episcopo omnia reportavit a S. C. Lunen. Sarzanen. 9 Julii 1796.

(74. *Denegat. dispensat. ob irregul. ob homic. in rixa patrum.*

Sacerdos Franciscus Antonius Mazzadi parochus olim Strepeti damnatus praeter ceteris fuit a Placentina curia, tanquam reus rixosi homicidii in caupona patrum, ad quinque exsilium a loco commissi criminis, seu vicariatu Complani. Hac poena nondum expleta, supplicat pro dispensatione ab irregularitate, sed non obtinet, licet episcopus faveret, fisco, partique satisfactionem praestiterit. Placentina irregularit. 30 Julii 1796; confirmat. 9 Sept. 1797.

(75. *Dispensat. ab irreg. pro defectu partis pollicis.*

Ab irregularitate super defectu partis pollicis laeva manus dispensationem per Breve concedendam esse, facto verbo cum Sanctissimo, statuit S. congregatio clerico Joanni Baptistae Joseph Bouchez, sed cum digitali aureo, vel argenteo inaurato ita inhaerente ut omne periculum arceretur, quod in sacro peragendo cadere posset, et praemisso experimento coram caeremoniarum magistro, et dummodo eo digitali in nulla alia actione uteretur, ac reverenter in capsula custodiretur. In Cameracen. irregularitatis 17 Februarii 1821.

(76. *Denegat. dispensat. ab irreg. ob defectum visionis.*

Irregularitatem acolyti Dominici de Paulis, contractam ex eo quod luminibus orbatus erat, licet nullum scandalum populo dare posset, attamen dispensandam esse negavit S. Congregatio, quia agebatur de promovendo: In Neapolitana Irregularitatis 17 Septembris 1814.

(77. *Dispensat. ab irreg. ob homicid. in bello.*

Ab irregularitate dispensationem concessit S. congregatio clerico Donato Romani, qui miles conscriptus vi coactus fuit arma sumere, in bellum ire, licet nesciret an in aestu conflictus aliquem sauciaverit, vel interfecerit: In Aretina 18 Martii 1815.

(78. *Dispensat. ab irregul. ob impulsum et operam praestitam ad necem latronum.*

Sacerdotem Michaellem Angelum Fran-

chini commendatum ab episcopo, ab irregularitate dispensavit: S. congregatio, ex eo contracta, quod ipse incitaverit armatos ad pugnam adversus latrones vulgo briganti, et ipse exploderit ballistam igneam adversus

## JURISDICTIO.

SARDINIAE jurisdictionis, in qua ad seq. dub.

I. An, quando Ordinarii ad vitanda scandala procedunt, non citata parte, nec adhibita causae cognitione in causis visitationis, aut correctionis morum, possit judex delegatus apostolicus appellationem simpliciter admittere.

II. An ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, quod tamen potest reparari per sententiam definitivam, valeat appellationem admittere?

III. An, quando appellatur a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari nequit, ut carcerationis, torture, aut excommunicationis, possit appellationem admittere, aut inhibitionem, vel aliam provisionem concedere, non visis actis ex quibus evidenter appareat de gravamine?

IV. An censuras Ecclesiasticas in appellante prolatas valeat relaxare aut nullas declarare, non auditis partibus nec cognita causa?

V. An valeat absolutiones ad cautelam concedere non citata parte, nec visis actis, nec praestita cautione ab appellante de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiae?

VI. An ab executione decretorum sacri concilii Tridentini valeat appellationem admittere?

VII. An valeat causas in curiis ordinariarum, vel aliorum judicum inferiorum pendentes ad se avocare, vel illarum cursum impedire sub quolibet praetextu, praeterquam per viam legitimae appellationis fuerint ad ipsius tribunal delatae?

VIII. An valeat appellationem recipere, nisi per publica documenta (quae realiter exhibeantur) prius constiterit appellationem a sententia definitiva, vel habente vim definitivam, aut a gravamine quod per definitivam sententiam reparari non possit, in casibus a jure non prohibitis, per legitimam personam, et intra debita tempora fuisse interpositam ac prosequutam.

IX. An valeat inhibitionem concedere post receptam appellationem absque insertione tenoris sententiae, aut decreti definitivi, aut definitivi vim habentis, etiamsi appellans asserat, culpa judicis a quo, vel actuarii, exemplum habere non posse, non justificato impedimento, et an in casu possint inhibitiones impune sperni?

X. An valeat appellationes in secunda instantia recipere a decretis seu sententiis suffraganeorum, omisso medio curiae metropolitanae?

XI. An in causis de sui natura appellatibus, in quibus dictus judex processit, valeat appellationum, quoad effectum, suspensionem denegare?

eosdem, quin tamen aliquem occiderit, vel mutilaverit, et probaverit propinationem veneni duci latronum factam a fratre suo pharmacopola: In Marsicen. Irregularitatis 18 Martii 1815.

XII. An, et quae taxa servanda sit a dicto iudice delegato tam in causis civilibus, quam criminalibus pro sportulis, seu propinis?

Sac. cong. Concil., die 3 Aprilis 1700, distulit propositionem; die vero 24, ejusdem mensis jussit proponi causam in prima etiam unica, et per delegatum exhibendas esse literas suae delegationis; et demum die 15 Maii dicti anni respondit « Ad 1, negative quoad effectum suspensivum. Ad 2, negative. Ad 3, negative, quoad cognitionem causae in gradu appellationis tantum, et affirmative, quoad brevem supersessoriam. Ad 4, negative. Ad 5, itidem negative, praeterquam in casu absolutionis ad breve tempus, et tunc cum obligatione de stando juri, et parendo mandatis Ecclesiae. Ad 6, 7, 8, 9, 10 et 11, negative. Ad 12, exhibendas esse taxas tam Ordinariarum, quam delegati » ut in lib. l. Decret., pag. 145, 185 et 1224.

AQUILANA jurisdictionis, in qua ad sequentia dubia.

I. An episcopo accedenti ad visitandum monasteria monialium PP. Coelestinis subjectarum, debeantur in ingressu ecclesiae solitae honorificentiae et praeminentiae, omnesque actus reverentiales, ac associari, tam in ingressu, quam in egressu ecclesiae a praedictis PP. Coelestinis?

II. An moniales praedictae teneantur tradere episcopo visitanti librum regularum, et teneantur similiter subire ad solitas crates onus personalis visitationis quoad clausuram spectantis?

III. An episcopus possit solus cum suis convisitatoribus ingredi, et visitare clausuram praedict. monialium absque interventu P. abbatis Coelestinorum.

IV. An episcopus possit visitare nedum crates, et moenia exteriora praedictorum monasteriorum, sed etiam chorum interiore, dormitoria, cellas, aliaque loca pro clausura custodia?

V. An possit episcopus occasione S. visitationis habere sermonem spiritualem praedict. monialibus tam infra, quam extra septa monasterii?

VI. An possit episcopus nedum visitare altaria et capellas ecclesiarum praedictorum monasteriorum, in quibus beneficia, aliaque onera missarum insint, verum etiam et tabernaculum cum altari majori?

Sac. cong. Conc., die 31 Julii 1723, respondit: « Ad 1, affirmative quoad ministros officiales monasterii, et quoad confessorium ejusdem tantum. Ad 2, negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. Ad 3, 4, 5, affirmative. Ad 6, negative. »

MELEVITANA jurisdictionis, in qua ad sequent. dub.

I. An decanus cathedralis ecclesie, ad quem spectat convocare capitulum, teneatur, sede episcopali vacante, petere licentiam a vicario capitulari pro convocandis capitularibus, in casu, etc.

II. An ipso decano absente, renuente, aut alias quomodolibet impedito, facultas convocandi capitulum devolvatur ad successivas dignitates, et canonicos convocantes capitulum sine licentia, in casu, etc., et quatenus affirmative.

III. An vicarius capitularis possit procedere ad censuras contra decanum, et dignitates, et canonicos convocantes capitulum sine licentia, in casu, etc.

IV. An decanus, dignitates, et canonici convocantes capitulum, uti valeant quacunque persona pro intimidandis capitularibus, nec non quocumque notario casu, quo cursores et cancellarius eorum officium prestare recusent, in casu, etc.

V. An dignitas seu canonicus capitulo presidens teneatur certiore reddere vicarium capitularem absentem de resolutionibus capitularibus? et, quatenus affirmative, quibus remediis procedi possit contra recusantem, in casu, etc.

VI. An actus registratus in cancellaria episcopali die 30 Augusti 1721, de ordine vicarii capitularis, in quo supponitur decanum petiisse ab eo licentiam convocandi capitulum, subsistat, vel potius sit annullandus et delendus, in casu, etc.

VII. An sustineatur inhibito transmissa decano et canonicis die 13 Aprilis 1722, de mandato vicarii capitularis sub pena excommunicationis majoris ipso facto incurrendae, in casu, etc.

VIII. An actus registratus in cancellaria episcopali die 17 Octobris 1722, de ordine reverendissimi episcopi, in quo supponitur decanum petiisse a vicario capitulari licentiam sub conditione, subsistat, vel potius sit annullandus, in casu, etc.

Sacr. cong. Concil., die 18 Septembris 1723, respondit: « Ad 1, negative. Ad 2, affirmative quoad primam partem, et quoad secundam habebitur ratio in casibus particularibus, visis litteris Coadjutoriarum. Ad 3, negative. Ad 4, affirmative. Ad 5, negative. Ad 6 et 8, ad mentem, » et mens est quod deleantur. Ad 7, negative.

CONSTANTIENSIS JURISDICTIONIS, ad seqq. dubia.

1. An Episcopus Constantiensis, ejusque vicarius generalis possint inhibere abbati et monachis abbatie Salemitane, et quibuscunque aliis regularibus ordinis Cisterciensis, ne sine praevia et speciali ejus approbatione excipiant confessiones monialium in diocesi Constantiensi existentium, illarumque etiam, quae ejusdem sunt ordinis? in casu, etc.

2. An quilibet confessarius, tam ordinarius quam extraordinarius, semel vel pluries a superiore regulari pro tempore deputatus vel deputandus ad audiendas confessiones monialium ejusdem monasterii ordinis Cisterciensis, teneatur novam appro-

bationem ab eodem Ordinario petere, et impetrare quoties eundem vel ad aliud vel ad idem interpolato tempore contigerit deputari? in casu, etc.

3. An possit Ordinarius Constantiensis admonere tam mediatos quam immediatos monialium superiores, ut amoveant confessarios, atque administratores honorum ad earumdem monialium monasteria pertinentium pro tempore deputatos, seu deputandos? in casu, etc.

4. An superiore regulari, vel alio quocumque ad quem pro tempore spectat, negligente deputare bis aut ter anno quolibet confessarios extraordinarios monialium, eos deputare valeat episcopus Constantiensis? in casu, etc.

5. An eidem Ordinario Constantiensi, salvo jure advocatiae favore illorum quibus competit, liceat petere rationes administrationis honorum monasteriorum monialium ordinis Cisterciensis? in casu, etc.

6. An eidem Ordinario Constantiensi competat jus interessendi, et praesidendi electioni abbatissarum ejusdem ordinis? in casu, etc.

7. An eidem Ordinario Constantiensi competat jus explorandi voluntatem puellarum, tam ad habitum, quam ad professionem in monasterio saepedicti ordinis? in casu, etc.

8. An capellae ab ecclesia monasteriali separate et dissitae, atque sive per se stantes, sive domibus et arcibus jure proprietatis ad monachos Salemitanos pertinentibus, apud quos tamen vel nulli resident regulares, vel nonnisi unus, aut duo, illique solummodo ad curandas res dynastiales aut oeconomicas, et publicum habentes accessum, sint cum ipsis domibus aut arcibus a parochorum, intra quorum districtus situantur, et episcopi jurisdictione exemptae? in casu, etc.

9. An officiales laici, domestici, famuli et coloni, qui extra septa monasterii vel clausurae degunt, exempti sint a jurisdictione episcopali, et parochiali, ita ut teneantur a paroco recipere sacramenta omnia, et praesertim matrimonium? in casu, etc.

10. An iidem officiales, domestici, et famuli teneantur servare festa tam ab episcopo praescripta, quam consuetudine recepta, iisque diebus ab operibus servilibus aequae ab omni strepitu iudiciali abstinere? in casu, etc.

11. An iidem officiales, domestici, et famuli teneantur interesse supplicationibus ex causis ab episcopo praescriptis? in casu, etc.

12. An cum eisdem officialibus abbas Salemitanus in jejuniis dispensare, vel si episcopus dispensaverit, eosdem ad jejuniis obligare possit? in casu, etc.

13. An praefatus abbas iisdem officialibus, etc., pro lucrando jubileo aliud tempus, quam episcopus praescripserit, determinare valeat? in casu, etc.

14. An saepofatus abbas monialibus sui ordinis pro lucrando jubileo speciale tempus determinare valeat, seu potius tempori-

ab episcopo determinato in tota diocesi se conformare debeat? in casu, etc.

15. An abbas Salemitanus causas matrimoniales saepe dictorum suorum officialium, domesticorum, famulorum et colonorum decidere valeat? in casu, etc.

16. An eidem abbati Salemitano respectu eorumdem suorum officialium, etc. competat titulus Ordinarii? in casu, etc.

17. An, si episcopus quemdam ex hisce officialibus, famulis et domesticis in quacumque causa ecclesiastica ad suum tribunal citaverit, is comparere debeat, alias cogi possit quibuscunque necessariis juris remediis? in casu, etc.

18. An, si episcopus vel ejus curia indigeat testimonio jurato alicujus subditi saecularis monasterii Salemitani, et monialium ejusdem ordinis, possit hunc propria auctoritate ad suum tribunal citare, et reluctantem quoque per censuras compellere? in casu, etc.

19. An domus, capellae, arces proprietatis jure ad monasterium Salemitanum pertinentes, in quibus tamen aut nullus, aut unus duntaxat alterve religiosus, et quidem in ordine tantum ad administranda negotia temporalia et dynastialia residet, gaudeant exemptione ipsi monasterio Salemitano concessa? in casu, etc.

20. An religiosi in his domibus, arcibus, sic, ut praemittitur, residentes, subsint jurisdictioni parochi, etc., ita ut si forte decumbant, sacrum viaticum, et extremam unctionem de manu parochi, intra cujus districtum sitae sunt haec domus, suscipere, atque ab eodem, si ex hac vita discedant, sepeliri debeant; idque etiam obtineat quoad officiales, famulos, et colonos ibi habitantes? in casu, etc.

21. An, si fortasse abbas contenderet jus habere deputandi aliquo in loco parochum, debeat hic episcopo praesentari, ab eodem examinari, atque approbari? in casu, etc.

22. An episcopo competat jus visitandi quascunque capellas praedicti ordinis, simulque religiosos curam animarum in ea administrantes, juxta constitutionem quae incipit *Firmandis*? in casu, etc.

23. An abbas Salemitanus in ecclesiis saecularibus, suae tamen quoad temporalia jurisdictioni subjectis, sine licentia episcopi possit uti pontificalibus, vel an etiam in his teneatur servare decretum ab Alexandro VII editum? in casu, etc.

24. An abbas Salemitanus a clericis sui patronatus possit exigere juramentum fidelitatis? in casu, etc.

25. An idem abbas impedire possit ne possessoribus beneficiorum monasterio Salemitano adnexorum clericis saecularibus gravi et juxta ex causa imponatur pensio ad successorem non transitura, et ex congrua ipsius beneficiati solvenda, si non obstante hac pensione, eidem adhuc sufficiens ad honestam sustentationem congrua super sit? in casu, etc.

26. An episcopus abbatem, monachos, et officiales quoscunque monasterii Salemitani ad observantiam eorum, quae in expositis

dubiis resolventur per multas pecuniarias piis usibus applicandas, aliasque penas, nec non etiam per ecclesiasticas censuras compellere possit? in casu, etc.

Sacr. cong. Concil., die 31 Martii 1770, distulit propositionem. 15 Septembris respondit: « Dilata, et ad D. secretarium ad mentem. »

COMEN, jurisdictionis, in qua ad seqq. sub.

I. An revendissimus nuntius apostolicus apud Helvetios possit concedere facultatem audiendi confessiones personarum saecularium, vel etiam regularium, imo et monialium, in diocesi Comen. sine licentia, et approbatione Ordinarii loci?

II. An idem reverendissimus nuntius sacerdotibus non approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones concedere possit facultatem absolvendi in foro interno ab haeresi, censuris, etc.

III. An possit concedere facultatem generalem absolvendi a casibus Ordinario reservatis? et quatenus affirmative?

IV. An expediat adhiberi aliquod moderamen in hujusmodi facultatum communicatione, tam circa numerum quam circa qualitates personales eorum quibus conferuntur?

V. An possit concedere suis commissariis subditis diocesis Comen. facultatem eligendi sibi confessarium etiam non approbatum ab Ordinario?

VI. An possit concedere licentiam retinendi, legendi libros haereticorum, seu alios quomodolibet prohibitos?

VII. An commissarii nuntiaturae accedere possint ad monasteria monialium, easque alloqui etiam citra necessitatem officii ausque licentia Ordinarii?

VIII. An iidem commissarii concedere possint aliis ad eos recurrentibus licentiam alloquendi moniales sine licentia Ordinarii?

IX. An dicti commissarii, obligati ad residentiam ratione canonicatus vel alterius beneficii, possint ab illo abesse pro negotiis commissariatus, et nihilominus lucrari distributiones, aliaque omnia emolumenta, tanquam si essent praesentes?

X. An idem reverendissimus nuntius concedere possit dictis commissariis licentiam retinendi famulas, quamvis non annosas, cum derogatione quarumcunque ordinationum per Ordinarios locorum quomodolibet factarum?

XI. An concedere possit facultatem exorcizandi independentem ab Ordinario?

XII. An iidem commissarii concedere possint licentiam laborandi diebus festis?

XIII. An iidem commissarii punire possint etiam in prima instantia festorum violatores, blasphematores, aliosque contra Dei et S. Matris Ecclesiae praecepta temere agentes?

Sacr. congr. Concil. die 26 Februarii respondit: « Ad 1, negative. Ad 2, negative. Ad 3, negative. Ad 4, satis provisum in superiori. Ad 5, negative. Ad 6, ad Sac. Congregationem Sancti Officii. Ad 7, 8, 9, 10,